



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 26. De dilectione inimicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

December.

Filius Dei, qui semper in Patre veritas,
& vita est, assumendo hominem factus
est via: ambula per hominem, & perve-
nis ad Deum. *Aug.*

DIES XXVI.

De Dilectione Inimicorum.

I.

EXemplum, ipsiusmet Dei, ejusque
patientia, qua inimicos suos tolera-
vit, eisque ignovit, incitamentum est,
quo Christus utitur; ut nos animet ad
amandos nostros inimicos, eisque condo-
nandas injurias, quas nobis irrogârunt.
Matth. 5. 45 Diligite inimicos vestros, inquit; qui ode-
runt vos, ut sitis Filij Patris vestri celestis, qui
solem suum oriri facit super bonos, & malos.
Hoc exemplo nihil magis est admiran-
dum; & nihil magis animare nos debet;
si omnia illius adjuncta perpendamus. Of-
fensæ, quæ contra Deum admittuntur,
magnæ sunt, innumeræ sunt. Is infiniti
odio peccatum prosequitur; hoc odi-
um continuo ipsum incitat ad vindictam;
nec quidquam ei facilius est, quàm se vin-
dicare: plus non requiritur, quàm velle.

is

is novit, quod sua in perferendis peccatoribus patientia eos reddat ad ipsum offendendum licentiores, & nihilominus eos tolerat, expectat, amat, protegit, eis benefacit illo ipso etiam momento, quo ab ipsis offenditur; & veniam offert, cum nonnisi de ipso irritando cogitant. Quanta clementia! quantum exemplum! si hoc nos non mover, quid movere nos poterit?

II. Sed exemplum Christi Dei-Hominis in cruce morientis adhuc magis movere nos debet, quia magis sub lei sus cadit. Hic ipsius clementia luculentissime se prodit; cum inimicis, & homicidis, qui cum cruci affixerant, non tantum ignoscat; sed & vitam suam pro ipsis immolet, qui tam crudeliter eam ipsi eripiunt, & suam in illos charitatem longius provehit, quam illi suam contra ipsum rabiem provehere poterunt. Tu ipse, inquit S. Bernardus, ipsius nunc amicus non esses, nisi adeo te amasset, ut etiam vitam suam pro te daret, cum inimicus ipsius esses. *Vide pendentem*, inquit S. Augustinus, *audi precantem*. Vide Servatorem tuum cruci affixum: vide ipsius patientiam, vide ipsius erga inimicos charitatem; sed fac, ut ex hoc exemplo pro-

pro-

Décember,

proficias, ipse te orat, vel potius mandatur, ut se imiteris: *Audi precantem, & tanquam de tribunali præcipientem.* Hoc est exemplum, quod S. Stephanum animavit ad tam generosè inimicis suis ignoscendum. Exemplum, quod homo aliquis hac super re nobis præbuit, satis ostendit, exemplum hominis - Dei imitabile non esse. Hic erit causa tuæ condemnationis, nisi sit idæa, suæ imitationis.

III. Sed Christus inimicis suis ignoscere non contentus, etiam pro illis orat, imò & eos excusare conatur. Crudeles hi adversarij omnem ferè ipsius fudère sanguinem per vulnera, quæ ei inflixerant; At licet is totus exhaustus esset, in corde tamen suo charitate erga inimicos suos incenso remedia contra imbecillitatem suam invenit, atque elata voce clamat, ut Patri suo commendet, non dilectam matrem, sed inimos suos, sed interfectores suos. *Pater dimitte illis.* Ah! Pater mi, si specimina mihi præbere cupis amoris tui, ignosce adversarijs meis, quos ego veluti fratres meos considero, rogòque, ut eos in posterum filiorum habeas loco. Pater eum exaudit, cum pro inimicis suis orat; cum pro te orat: antequam eum repelles,

les, quando gratiam à te petierit pro fratre suo, quem non sine injuriâ inimicum tuum esse credis? An non ipsius exemplo & precibus moveri te patieris? partem è meritis orationum ipsius non habebis, nisi audias illas, quas ipse in gratiam adversarij tui fundit.

Examina te, an non aliquam offensam contra proximum tuum animo foveas, & statue quantocyus, cum eis in gratiam redire.

Dimittite, & dimittemini. Luc. 5. 38.

Stephanus pro lapidantib⁹ orabat, majus aliquid morte Deo offerens. Greg. Naz.

DIES XXVII.

De Præsepio JESU Christi.

I.

PRæsepe, cui Christus recens natus imponitur, thronus est amoris ipsius. Et verò, ubinam ejus amor clariùs unquam resplenduit? ubinam plus habere virium debet ad nostrum vicissim amorem sibi conciliandum? Christus factus est homo, & infans, ut hominibus amabilem se præberet. Amicitia Deum inter, & homi-

nera